

habuerunt fatuæ. Docentur ergo hic virgines studere solitudini, et si quando in publicum prodeundum est, lumen, id est, testem pudicitiae adhibere. Hinc virgo Hebraice vocatur *alma*, id est, abscondita, et hoc nomine vocatur Deipara ab Isaia, capit. VII. *Ecce virgo concipiet, etc.* Hebr. *haalma*, id est, illa virgo, scilicet angelis suscipienda: bene autem abscondita dicitur, quæ ab angelo salutante inventa est in cubiculo. Audi S. Ambrosium, lib. II. in Lucam, ad illud Luca I. *Ingressus ad eum angelus: Sola, ait, in penetralibus quam nemo virorum videret, sola sine comite, sola sine teste, etc.* Eadem per montana cum festinatione ivit ad Elisabetham. De quo idem Ambros. lib. II. cap. III. « Discite virgines non circumcurrare per alienas aedes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, etc. » At forte testem vel comitem hic requiris peregrinanti? Sane si alius non fuit, fuit Christus in ejus utero. Hoc eodem nomine mire commendat S. Hieronymus Asellam virginem Romanam, quæ in urbe turbida eremum sibi invenerat, suo scilicet in cubiculo, ejusque in angustiis latitudine paradisi fruebatur, epist. XV. ad Marcellam. Inter fatuas vero virgines merito computamus Dinam illam, quæ curiositate ducta, egressa est videre mulieres Sichimorum; ab iis enim intercepta, pudorem suum perdidit, Gen. XXXIV. Scimus quid periculi incurrerit Susanna, cum lavaretur in pomario suo, tametsi satis provida, claudi jusserat fores pomarii, Dan. XIII. nimirum nusquam tectæ sunt, foras ubi prodeunt. Hinc apost. I. Corinth. XI. velo tectas vult esse mulieres. Qui ritus communiter apud alias nationes viget et viguit olim etiam apud ethnicas, Romanas, Trojanas, Arabes, Lacenas, etc. *Judæis feminis*, inquit Tertull. de corona militis, capit. IV. *tam solemne est velamen capitis, ut inde cognoscantur.* Viget idem mos in Italia et vicinis nationibus barbaricis, mulieribus serviunt calyptrae superne coopertæ pileis, quibus faciem pene totam tegunt. Nostrates vero puellæ quia tali velamine carent, meo consilio se cooperiant pileo domus suæ, omnium tutissimo. Quo certe pileo filias suas operire deberent matres occupando eas domesticis exercitiis, et arcendo ab evagationibus non necessariis: ne alioquin iis contingat, quod scribit Tertullian. lib. de veland. virg. capit. VII. dicens: « Indicabunt nos Arabiæ feminae ethnicae, quæ non caput tantum, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo librato contentæ sint dimidia frui luce potius, quam totam faciem prostituere.

V. Sapientes in hac parabola non loquuntur,

nisi interrogatæ et prudenter, fatuæ vero non interrogatæ et imprudenter: *Date nobis de oleo vestro.* Discunt inde virgines silentio assuescere, nec loqui facile nisi interrogatæ et considerate. Ita monet S. Hieronymus, epist. ad Demetriadem: *Sit, inquit, sermo utrginis, prudens, modestus et rarus: nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore: moxque commendat hoc nomine Demetriadem, cum subdit: Mirantur te tacente tuam verecundiam, te loquente prudentiam.* Quare ad virgines maxime spectare videtur, quod in vitis patrum, lib. V. tit. XI. numer. XXVI. dixit abbas Pastor: *Clavis silentii sit interrogatio: et quod Sanctus Chrysostomus, in Psalm. L. ait: Os nostrum perpetuo custodiamus rationem et tamquam clavem adhibentes.* Hanc utramque clavem linguæ suæ appensam habuerunt prudentes virgines. Tales igitur haberi quæ volunt, binas illas claves et ipsæ in lingua gerant.

Cæterum longe magis cavendi eis sunt sermones impudici, leves et scurriles. Quod sane observavit Sara, Raguels filia, quæ in oratione fatetur: *Neque enim his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Ad idem hortata fuit aliquando Deipara chorum ss. virginum stipata Musam virginem apud S. Gregor. lib. IV. dial. capit. XVII. ut scilicet nihil ultra leve aut puellare ageret, risu, jocis, ludisque abstineret: sic enim fore, ut ad chorum sanctarum virginum post triginta dies veniret. Quo ex verbo correctæ Musa serios mores induit, et trigesima post die hinc emigravit. Bene dixit Socrates, apud Stob. serm. de virtute: *Quemadmodum ex templi janua aperta pulcherrima simulacra perspicuntur: sic ex ore sapientis simulacra animi.* Quare si ex ore virginum prodeant verba gravia, modesta, rara; arguunt eas templa esse: sin vero nugæ, joci, risus; arguunt eas esse geneas aut spheristeria.

VI. Virgines prudentes lumen suum in lampadibus provide servarunt, fatuæ perdiderunt. Momentur hic virgines omni sollicitudine servare lumen castimoniam suam. Quam cito extinguitur lumen? Et quam cito frangitur vas luteum? Verissime autem cum apostolo, I. Corinth. IV. dicere possunt virgines: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Et quando quidem testa confracta redintegrari nequit, ita nec perditâ virginitatis gloria. Audi Sanctum Hieronymum, in epist. ad Demetriadem: « Divitiæ tuæ, inquit, virginitas tua: thesaurus tuus est: thesaurus irrecuperabilis postquam amissus est. » Imo ad ipsum indicat Deus, Amos V. cum ait: *Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscite eam.* In quæ verba Sanctus Hieronymus ad Eustochium scribit: « Cave, quæso, ne quando de t

dicat Deus: Virgo Israel cecidit et non est, qui suscite eam. Audenter loquar. Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam, etc. » Hanc ob causam virgines quam plurimæ mortem potius oppetere, quam thesaurum hunc suum tam pretiosum perdere maluerunt. Inter alias illustris est Sancta Digna, quæ capta Aquileia ab Alia, a barbaro ad stuprum raptâ, quasi secreti cupida, in tabulatum fluvio Nasconi imminens conscendit. Inde ad Hunnum sequentem conversa: *Sequere me, inquit, si vis me potiri,* ac mox in flumen se præcipitavit, Olaus, in vita Attilæ et alii. Jacobus de Vitriaco cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ refert in præfatione ad vitam S. Mariæ de Orgenes, apud Sur. 23. junii, sua ætate virgines, complures Leodiensi urbe ab hostibus occupata castitatis suæ tuendæ gratia, quæ ad templa confugere non poterant, in flumen et cloacas insiluisse, ut nullum pedorem, cum libidinis fœtore comparandum ostenderent. Una ex illis cum undis dimicans, a duobus militibus in cymbam tracta, cum insidias eorum adverteret, iterum se in undas dedit tanto impetu, ut navi eversa milites perirent, ipsa incolumis evaserit.

Fatuæ e contra sunt et stultissimæ quidem, quæ pretiosum virginitatis suæ thesaurum tam male custodiunt, tamque facile persuasæ in cloacam abjiciunt; ut enim quinque illæ fatuæ extinctis lucernis suis, perdiderunt viam ducem, inciderunt in densissimam noctem, omnium sannis et ludibriis dignæ factæ, denique neglexerunt sponsi adventum et exclusæ sunt a nuptiis: ita qui thesaurum illum suum tam vesane prodigunt, perdunt imprimis lumen animæ suæ, gratiam Dei una cum virtute et merito castitatis, pretiosa utique margaritæ. Omnium non insanorum judicio insanus fuit ille Theotimus apud Sanctum Ambrosium, lib. IV. in Lucam, cap. IV. qui cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi a medico re venera, impetu libidinis raptus dixit: *Vale amicum lumen!* malens nimirum oculorum suorum lumen amittere, quam libidine carere. At hoc idem agunt, qui pudicitiam suam prostituunt, lumini enim animæ suæ, gratiæ Dei unaque incomparabili virginitatis thesauro æternum valedicunt, ut merito Oseas, cap. IV. dixerit: Fornicationem auferre homini cor, id est, mentem et rationem. Deinde, incidunt in opprobrium et publicam pleurumque infamiam, fiuntque velut vas immundum, de quo Oseas VIII. dicitur: *Devoratus est Israel, factusque est quasi vas immundum: vult dicere: Gloria, decor, fama, vires Israelis devoratae sunt ab Assyriis. Idem contingit fornicantibus:*

devorantur enim a libidine, et fiunt ex vase decoris, diaboli matula seu latrina. Et quid tandem mirum, si hujusmodi immunda vasa excluduntur a cœlestibus nuptiis, ad quas nihil coinquinatum admittitur? Quid mirum si audiant: *Nescio vos.* Non enim homines, sed matulæ et latrinæ estis. Ad cloacas, ad orcum, ad colluviem omnium faciendum apagite.

CONCIO III.

CUR FATUÆ DICANTUR QUINQUE VIRGINES.

I. Quia obviant sponso sine oleo. — II. Quia dormiunt expectantes. — III. Quia ex oleo solum ornant lampades. — IV. Quia oleum sibi donari volunt. — V. Quia tardius eunt emere. — VI. Quia sine cultu pergunt ad nuptias. — VII. Quia ingredi volunt clausa jam janua.

THEMA.

Quinque autem ex iis erant fatuæ. Matth. XXV.

Multi sibi imaginantur quasi delicta ex ignorantia nulla sint peccata, unde communiter excusamus peccata nostra per verbum *nesciebam*. Sed hodiernum evangelium aliud demonstrat. Fatuæ vocantur istæ virgines, quasi nescissent ea, quæ ad salutem sunt necessaria, habendum esse, oleum scilicet et sponsum expectandum; unde si interrogatæ fuissent: Cur vos hic sine lumine, utique respondissent: *Nesciebamus nobis defore oleum, ideoque vasis ad iter accipiendum, sponsum tandiu moratorium, etc.* tamen nihilominus excluduntur a regno Dei, et audiunt simile verbum: *Nescio vos.* Sic enim, I. Cor. XIV. ait apostolus: *Si quis ignorat, ignorabitur:* unde idem ad Eph. V. fideliter monet dicens: *Videle fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes.* Est quædam fatuitas cum nec sciuntur nec sciri possunt, quæ scienda sunt: et hæc non culpa caret. Est et alia, quæ affectata dicitur, et alia, quæ crassa, utraque culpabilis. Per hanc nescitur, quod sciri debet et facile potest: per illam fingitur ignorantia; crassa erat fatuitas harum quinque virginum. Sed unde constat fatuas fuisse, inquires? Audi.

I. Quia pergunt obviam sponso sine ornamento, hoc est, sine oleo. Acceperunt quidem fatuæ aliquid olei secum, id nimirum, quod infusum erat in lampadibus quod inde patet, quia dicunt: *Lampades nostræ extinguuntur;* hinc enim sequitur oleum habuisse in lampadibus. Sed prudentes acceperunt simul oleum secum in vasis cum lampadibus. Quid hoc igitur? Oleum in vase cor

dis infusum ab initio habent Christiani, virtutes scilicet infusas, fidem, spem, charitatem, etc. Et hoc quidem sufficit ad parvum iter, nimirum quando homines moriuntur cito in infantia vel puerilia: sed si longior est peregrinatio in vita, non sufficit: requiruntur præterea, ut oleum in vasis seorsim gestent, quod affundere potest, ne lumen gratiæ extinguatur, id est, requiruntur etiam virtutes acquisitæ in adultis tanquam fomentum gratiæ baptismatis. Nemo dubitat quin infantes baptizati cum cælesti sponso intrent ad nuptias, si in innocentia moriantur, quia titulo hæreditatis cælum obtinent, coque solo. Sed non ita est de adultis, qui duplici titulo, hæreditatis scilicet et mercedis cælum obtinere debent: unde duplicia vasa gerunt prudentes, quibus oleum gestant. Et merito quidem hoc, quia cum longior sit eorum peregrinatio et major futura gloria, plus viatici requirunt, plus meritorum. Fatui igitur sunt, qui cum adulti sint, solo baptisate aut fide salvari sperant. Sic ab adulto filio exigit pater gratitudinem, observantiam, laborem, prudentiam, industriam; non a puero vel infante. Cum I. Reg. VII. terruisset Deus magno fragore Philisthæos, et sine pugna fugasset, erexit Samuel lapidem adjutorii et dixit: *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus, quasi diceret: Hanc quidem victoriam obtinuimus per merum Dei miraculum, sine armis nostris: sed ne cogitemus Deum in posterum facturum nobis miracula talia: quin potius armis utamur et pugnemus contra hostes. Ita enim usque ad baptismum auxiliatus est nobis Dominus, id est, sine operibus nostris justificavit nos: unde lapis adjutorii dici potest baptisterium in ecclesia lapideum. Sed in posterum Deo cooperari debemus, et sine bonis operibus nostris ne speremus deinceps victoriam, id est, justificationem et beatitudinem. Ut ergo fatuæ fuerunt virgines, quia sufficiens oleum non acceperunt; ita fatui sunt, qui bona opera non parant ad consequendam beatitudinem. Nec satis est habuisse lucernam ardentem, oportet eandem conservare usque ad finem vitæ. In cujus rei indicium datur morientibus in manus lucerna seu lumen.*

II. Quia dormierunt expectantes sponsum. Dormitabant quidem prudentes, ut exponit Abulensis hic, quæst. XV. peccando scilicet interdum venialiter, quod omnibus etiam perfectis accidit: dormitant enim, qui subinde excitantur, et facile fervorem amissum resumunt. Sed fatuæ dormierunt, et sunt illi, qui in peccatis gravioribus et lethalibus secure persistunt, licet nesciant, quo tempore vel momento venturus sit sponsus. Dormiebat in peccatis et voluptatibus suis diversis il-

le, qui aiebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte, repetunt animam tuam a te, Luc. XII. En stultitiam! Ille promittebat sibi annos plurimos, cum de nocte sequente securus non esset: unde audit: *Repetunt, id est, jam tollent. Certe et hic media nocte venit sponsus, id est, cum minime putabatur venturus quia: *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet, I. Thessal. V. Si sciret paterfamilias, ait Dominus immediate ante hoc evangelium, Matth. XXIV, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Cum ergo sciamus venturum furem, sed nesciamus quando, nunquam dormire debemus.***

III. Quia ornaverunt lampades suas fatuæ externo tantum splendore, nihil sollicitæ de interno apparatu, oleo videlicet. Ornaverunt etiam prudentes suas lampades, et recte, quia Dominus ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, addiderunt vero oleum. Dum fatuæ ornaverunt lampades, oleo vacuas, stulte nimis egerunt; siquidem absque lumine apparatus ille cerni non poterat, utpote media nocte. Ita quidquid hic bonorum operum exercetur, si fiat absque charitate, non aspicitur apud Deum, unde ait fatuis: *Nescio vos. Ita enim respondit hypocritis illis dicentibus, Domine, Domine: Nunquam novi vos, Matth. VII. Imo vero agnoscit illos Deus, sed non pro talibus, quales videri volunt. Fatua reputaretur illa rusticana famula, quæ se ornavit vestibus nobilium, ut in gynæceum principis venire, et velut una ex nobilibus haberi posset: quia ex moribus aliisque indiciis mox deprehenderetur esse rustica. Ita fatuæ æmulabantur prudentes, et ornabant similiter lampades suas, sed mox agnitæ sunt ex luminis et olei defectu. Asinus ille Æsopicus pelle leonina indutus, per silvas vagabatur, et multas simplices terrebat feras. At non item vulpem, quæ videns asininas prominere aures, asinum agnovit et risit. Ita hypocritæ leoninam sibi severitatis et virtutis assumunt pellem, et decipiunt quidem sub hac specie multos homines: sed non item sapientissimum Deum, qui dicet illis: *Nescio vos, id est, scio qui sitis, sed non agnosco pro iis, pro quibus vos jactatis.***

IV. Quia oleum gratis sibi dari voluerunt, quod emendum erat. Unde audiunt a prudentibus: *Ne potius ad vendentes et emite vobis. Oleum designat gratiam et charitatem. Ubi notandum, gratiam proprie non emi: alioquin gratia non esset, sed eatenus emi, quatenus ad eam suscipiendam nos disponere debemus per contritionem et bona opera, quæ tamen respectu gratiæ, quæ iis compara-*

tur, nihil sunt. Unde Isai. LV. dicitur: *Venite, emite absque argento, si absque argento, quomodo emitur opera mancipii, non filii, id est, opera nondum per gratiam dignificata. Certe nos eleemosynam non damus nisi precantibus et princeps condonat injuriam non nisi supplicanti et lacrymanti, et tamen hoc non obstante censemur nos eleemosynam, et princeps injuriam donare. Pari jure noluit Deus sine prævia dispositione dari peccatori gratiam, sed voluit, ut conscientiam exacte discutiat, peccata agnoscat, dolorem in se excitet, spondeat emendationem, confiteatur, satisfaciatur. Hæc sunt veluti numismata, quibus emitur gratia. Vendentes sunt sacerdotes, qui pro ejusmodi nummis conferunt gratiam in sacramento, ut exponit auctor imperfecti, ibidem.*

V. Quia eunt emere cum jam clamor fit: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Ita agunt, qui subita tacti infirmitate, tunc penitere volunt, cum jam non aut vix possunt. Fit clamor in infirmitate, uxor, amici lectum morituri circumstant lamentantes. Curritur ad vendentes et sæpe incassum, id est, ad sacerdotes; et omnia tumultuarie fiunt coacte, ex timore, etc. ideoque nullo aut exiguo fructu. Quemadmodum enim cives inconsiderati qui secure vivunt, nihil hostium metuentes, cum forte pulsatur campana tumultuaria, omnes ad arma currunt et concurrunt; sed quia imparati sunt, alius hastam arripit carentem ferrea cuspidem, alius sclopetum destitutum pulvere, globo, igne, aut sera, alius gladium rubiginosum, quem nequit evaginare, atque ita miseri facile obtruncantur; ita res habet in proposito. Cum pulsatur campana pro infirmo, ibi curritur pro sacerdote, acceleratur confessio, communio, extrema unctio, sed obiter omnia et imperfecte fiunt. Deest tempus aut vires animum colligendi, peccata agnoscendi, contritionem excitandi, id est, memoria ad recensenda peccata in confessione, robur satisfaciendi. Num existimatis tartareum hostem his armis expugnari? Epulabatur Balthasar quasi securus esset; interim ab hostibus repente oppressus est, Daniel, V. Unde eum illudit Isa. cap. XXI. epulantem, dum obsidione cingetur ab hostibus jamjam capiendus: *Pone mensam, inquit, contemplantur in speculo comedentes et bibentes. Surgite principes, arripite clypeum (alii legunt parate; alii ungite clypeum) quasi diceret: Jam parate, ungite arma cum jam est pugnandum. Hoc sensu ironice videtur ad discipulos Dominus dixisse: *Dormite nunc et requiescite, ecce appropinquavit hora, Matth. cap. XXVI. Non ita fecit David, qui tempestive se armavit; ait enim: *Paratus et non sum turbatus, Psal. CXVIII. Tales etiam erant virgines prudentes, de quibus dici-****

tur: *Et quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Bene ergo monet Eccles. cap. VII. *Nesse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Tempus mortis non est tempus tuum, sed Dei.**

VI. Ad nuptias intrare volunt sine debito cultu dicentes: *Domine, Domine aperi nobis. Ita nimirum omnes cupiunt salvari, et regnare cum Deo, beneque mori; sed non omnes curant vivere bene. Balaam aiebat: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia, (is est, Israelitarum) Num. XXIII. Sed interim maluit vitam iniquorum et cum iniquis degere, inter quos et cum quibus periit, ibidem, cap. XXXI. Fatuus foret ille, qui vellet metere in agro, in quo non seminavit: vel piscari in vivario, in quo nihil reposuit piscium. Pari modo insanit, qui in cælo quærit gloriam, quam sibi non paravit.**

VII. Quia post januam clausam cupiunt ingredi. Profecto rideretur, qui post annum jubilæi venerit Romam pro lucrando jubilæo cum clausa jam foret aurea porta, audiret enim merito: *Stulte, toto anno patuit tibi porta illa, et quare non venisti, cum pateret? Porta illa tempus gratiarum est, quamdiu vivimus. In morte clauditur janua. Putavit Origenes, Judam ideo se suspendisse, ut post mortem anima nuda curreret et a Christo veniam peteret, tract. XXXV. in Matth. sed non arbitror ego, Judam fuisse tam stultum. Qui non parat sibi gratiam in corpore, non parabit nuda anima. Sed non ait Dominus alibi: *Pulsate et aperietur vobis? Ille etiam, qui dicebat: *Jam ostium clausum est, etc. non possum surgere, etc. tamen surrexit et aperuit: sed respondetur, pulsari fores manibus, non voce, hoc est, operibus, non verbis, juxta id Matth. VII. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. Atque reprobi post hanc vitam nequeunt amplius pulsare. Magnum enim chaos est inter ipsos et cæli portam, quemadmodum dixit, Luc. XVI. Abraham diviti epuloni, qui et ipse ex inferis ad eum clamabat, ut guttam aquæ impetraret, sed minime auditus est. Nimirum in vita clamandum et pulsandum est, non post mortem. Audite ergo filii matrem vestram Ecclesiam, domini. I. quadagesimæ monentem in officio: *Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis, quæramus spatium penitentiae, et invenire non possimus.*****

CONCIO IV.

QUAS CORONAS SANCTA CATHARINA MERUIT, ET QUAM DISSIMILIS EI CATHARINA DE BORE LUTHERI SCORTUM.

Aureolam virginitatis meruit. — II. Aureolam martyrii. — III. Aureolam doctoratus.

THEMA.

quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Matth. XXV.

Quod in scholis fieri solet humaniorum litterarum, ut inter ascendentes præmiis donentur, qui inter cæteros excellere, hoc ipsum etiam fieri in schola Christi solet. Licet enim justi, et qui in studio virtutum sedulo se exercuerunt, omnes ascendant ad æternam beatitudinem, et denarium illum diurnum beatificæ visionis cum operariis illis, seu coronam gloriæ essentialem, sive auream, ut Hebræi vocant, omnes omnino accipiant: aliqui tamen ex illis, qui in certo victoriæ genere singulariter excelluerunt, singularibus afficiuntur præmiis, præterquam quod cum reliquis ascendunt; quæ præmia accidentaliter sunt et essentialibus superaddita, atque theologis aureolæ vocantur, id est, accidentales coronulæ essentialibus additæ coronis. Porro sicut id scholis ex tribus potissimum facultatibus præmia distribuuntur, ex Latina, Græca et doctrina christiana, ita et in cælis ob triplex excellens victoriæ genus triplex quoque aureola. De carne triumphata datur aureola virginibus, quæ ex proposito virginitatem perpetuo servarent, et carni nunquam abducta fuerunt: de mundo datur martyribus, qui propriæ vitæ et corporis sui dispendio fidem et dilectionem suam in Deum testati sunt: de dæmone doctoribus, qui non tantum e cordibus propriis, sed etiam ex aliorum animis diabolum expellere, docendo et prædicando laborarunt, et docetur V. part. quæstio XCVI. Divi Thomæ. Qua ex doctrina colligimus, Beatam Catharinam tria accepisse præmia, seu tres aureolas singulas ex singulis facultatibus. Ex Latina lingua, id est virginitate, quæ frequentior Latinis: ex Græca, id est, martyrio quod valde peregrinum est et difficile: ex doctrina christiana denique, quia ipsa virgo fuit, martyr fuit, doctrix fuit, et in his omnibus magnopere excelluit. Tandem quia in scholis post præmiferos legi etiam solent, qui proxime accesserunt: non possumus præterire Catharinam illam Borniam, quondam monialem, quæ quoniam magni illius prophætæ Martini Lutheri sponsa fuit, haud dubie ad Catharinam martyrem proxime accessit, si non antecessit. Si enim

CONCIO IV.

Lutherani jactant Lutherum suum Beati Martini æmulum fuisse et similem, quid, superest, nisi ut etiam nobis persuadeant, Catharinam illam Borniam æmulam fuisse martyris Catharinæ, et illi apprimè similem? Cæterum ante quatuordecim dies vidimus, quanta inter utrumque martyrum intercesserit similitudo, quanta scilicet est inter diem et noctem, lucem et tenebras, nigrum et album. Nunc etiam videbimus, quanta inter utramque sit hanc Catharinam.

I. B. Chatharina nobilis virgo fuit, virgo quoque quoad vixit permansit; quodque amplius est, in sæculo, in medio laqueorum, inter plurimos pudicitia hostes, et quod caput est, virgo tam tenaciter, tam firmiter Christo desponsata, ut a virginitatis proposito, neque amplissimis promissionibus, neque blanditiis, neque minis et penis avocari potuerit; ea siquidem a Maximo imperatore, qui insano amore illam deperibat, variis modis pertentata (ut scribit Euseb. lib. XIII. cap. XXVII. licet suppresso nomine, quam tamen Catharinam fuisse colligit Baronius, anno Domini 307.) ut cupiditati ejus obsequeretur, minime adduci potuit, sed fuga dilapsa et facultatibus suis omnibus potius se spoliari passa est. Christum enim esse sponsum suum, et decus virginitatis suæ constanter asseruit. Meruit igitur jure optimo virginitatis præmium. Sed quam proxime accessit Catharina Bornia? Virgo quidem et ipsa fuit, et quidem Deo sacra, castitatem voverat, in monasterio clausa erat, nullis sæculi laqueis circumdata erat; nihilominus tamen unius apostatæ Lutheri pessimo exemplo et documento a cive Torvaviense Leonardo Koppen de monasterio abducta, fidem Deo datam turpiter violavit, ac domum apostatæ Lutheri et ipsi quoque votifrago, publice, inaudito antea miraculo, nupsit, et quoad vixit adhæsit. O egregiam scilicet virginem, præmio infernali dignam! Quis dubitat, imprimis longe gravius esse perverti in monasterio, et de sanctorum societate cadere in barathrum, quam cadere in sæcula? Muros transilire ad præcipitium, quam cadere inter præcipitia? S. Bernard. in serm. de tribus ordinibus Ecclesiæ ait, sæculares natando ad cælum tendere inter fluctus, et vortices plurimorum periculorum, et ideo mirum non esse, si plurimi mergantur; religiosos vero per pontem securos ire, et quasi extra omne periculum. Quis jam non indignetur ei, qui de firmo ponte temere in flumen decidit, imo præcipit semetipsum? Quis ei commiseretur? Quis demersum juvet? Ita cecidit, ita præcipitavit se monialis illa perversissima de ponte religionis, de sublimi status perfectissimi fastigio, quemadmodum et ipse Lutherus. Unde facile colligimus, quam

IN FESTO S. CATHARINÆ.

pronuncie in inferno sedeat, quæ tam alte cecidit: quemadmodum enim lapis, quo altius decidit, eo profundius in terram cadit, ita quo altiori et securiori de statu, eo profundius in gehennæ foveam cecidit Catharina, quemadmodum et Judas, qui de apostolatu. Quare o Lutherani, si necdum scitis, aut scire vultis, quorsum devenerit doctoris vestri sponsa, desinite inquirere, nam prope Judam sedet, uti et sponsus ejus, quia de simili fastigio in simile barathrum lapsa est. Sed quale est illud obsecro, quod virgo Deo nupta, et sacris ritibus dedicata, fidem frangat, velum abjiciat, homini nubat? Vota omnia paupertatis, obedientiæ, castitatis, in quæ ultro nullo cogente solemniter juravit, irrita faciat? Audiamus, quid ad hæc dicant ss. patres. S. Cyprianus martyr, lib. I. cap. XI. ait: «Christus Dominus et iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam, et sanctitati suæ destinatam, jacere cum altero cernit, quam indignatur et irascitur!» Hæc ille. Si enim Christo injuriam facit, quæcumque uxor proprio viro suo fidelis non est, quanto major censenda est injuria ejusdem Christi, quod quæ ipsius est sponsa, fidelitatem ipsi non servet? Et cum viri adeo zelent honestatem uxorum, et infideles sibi severissime puniant, quomodo zelabit Deus sponsarum suarum castitatem, punietque infidelitatem? S. Hieron. l. I. adversus Jovinianum, ait: «Virgines, quæ post consecrationem nupsierint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ.» S. Aug. de bono viduit. cap. IX. ait: «Voto a virginibus vel viduis emissio, jam non solum capessere nuptias; sed, etiamsi non nubatur, nubere velle, damnable est. Nam ut hoc demonstraret apostolus, non ait: Cum in deliciis egerint, in Christo nubunt; sed nubere volunt, habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, sed tamen volendo.» Hæc August. S. Ambros. ad virgin. lapsam, c. V. ait: «Melius est nubere quam uri. Hoc apostoli dictum non ad pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spondit Christo, et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortalis juncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege connubii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.» Hæc ille. S. Basilius, de virginitate, negat iterum atque iterum disertis verbis valida esse post professionem matrimonia: «Virginitatem enim, inquit, Domino professæ deinde a carnis voluptatibus concitatæ, scortationis peccatum nuptiarum nomine velare volunt, non ignorantes, opinor, etiamsi ignorantiam simulent, quod quæ præterit, sponsi sui dexteram, neque hujus est sponsa, quem illegitime reliquit, neque illius, cui seipsam per affectum vitiosum ad-

junxit, juxta leges uxor reperiri potest, etc.» Theophylact. in I. Corinth. VII. super id apostoli: «Elsi nupsit virgo, non peccavit, ait, virginem hoc loco dicit non eam, quæ Deo dicata sit, hæc namque si nupsit, delinquit haud dubie plurimum, utpote, quæ Christo sponso superinducat adulterum, sed quæ nondum nupsit, adolescentula, etc.» Habetis igitur hæc de re patrum sententiam. Hoc tamen scelus adeo non pensi habent Lutherani ut etiam laudent factum quemadmodum et Lutherus summis laudibus extulit libello publice edito Leonardum illum, qui novem moniales, inter eas et Ketam suam a monasterio Nymicensi abduxit Wittembergam, et detractis velis sæculo transcripsit: sed unus dictorum patrum plus nobis est, quam mille Lutheri. Sed quid præmii debetur tali virgini? Sane ethnici Romani Vestalium virginum stupra acerbissime plecebant. Narrat auctor antiquitatum Rom. lib. II. cap. LXXIX. Si qua eorum cum viro rem habuisset, eam vivam in subterraneam foveam, aut quasi cellulam fuisse depositam, juxta eam vero lectulum, lampadem et pauculos cibos positos, post ea oclusam et terra obrutam, ut ita sub terra media periret. Cujusmodi Vestales tres defodi jussit imperat. Domitianus, anno Christi 86. ut scribit Euseb. in chron. et quanto sacratiores sunt Vestales nostræ Vestalibus illis, quæ fictæ tantum deæ castitatem jurabant? Quanto arctiori nexu Christo desponsatæ moniales, quam Vestales. Et quomodo non in mentem venit Lutheri et Borniæ terribilis illa, et toto orbe decantata historia de Udono episc. Magdeburg. conterraneo Saxonum? Hic enim, ut referunt Trithemius, in chron. Hirsaug Naucerus, generat. XXXIV. et alii, dum noctu sociam lecti haberet monialem abbatissam, audivit vocem: *Cessa de ludo, quia satis lusisti Udo.* Quia vero necdum emendabatur, nocte quadam in templo, spectante canonico quodam Friderico ejus Ecclesiæ, Christus cum plurimis beatis ibidem comparens adduci Udonem et decollari fecit, qui mane facto decollatus est inventus, et pavimentum cruore perfusum, qui lapidi indelebiter adhæsit. Quomodo non in mentem venit, quod S. Gregor. lib. III. dial. cap. VII. scribit de Andrea episc. Fundano, cui, quod monialem alioqui castam, domi suæ retinens suasu dæmonis aliquando palma blandiuscule in terra percuteret, maximum applausum dæmones fecerunt, uti Judæus quidam vidit, et postea episcopo indicavit, indeque conversus est? Quomodo non in mentem venit supplicium et interitus repentinus Ananiæ et Sapphiræ? Actor. V. Si enim illi infelici morte perierunt, eo quod partem pretii, quo agrum vendiderant, quem jam Deo per

votum paupertatis obtulerant, ex quadam cupiditate retinuerunt; qua poena non erit dignus, qui subtrahit Deo hæreditatem et margaritam castitatis. Quomodo denique non in mentem venit, quod apost. I. Corinth. VI. ait: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Loquitur hoc apost. ad quemcumque Christianum, qui per baptismi ablutionem sanctificatus, et quodammodo christiformis factus est. At si Christianus quilibet, cum fornicatur, membra Christi facit membra meretricis, quanto magis is, qui se omnino Christo desponsavit? Nunquamne etiam sciebat, quid lex civilis hac de se statuat, lib. V. cod. de ep. et cler. quæ ait: *Si quis, non dicam rapere, sed vel attentare tantum modo jungendi causa matrimonii sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali poena feriatur?* Et interim ipse non solum monialem sibi junxit, sed insuper septem alias cum ea consilio suo de monasterio abstraxit; et præterea in epist. ad Stifelium, fol. 300. anno 1525. S. Michael data scribit: *Hac nocte tredecim moniales ex ditione ducis Georgii afferri curavi, et rapui tyranno furenti hoc spoliolum Christi.*

H. B. Catharina martyr insignis fuit, detrusa imprimis in obscurum carcerem, ibique diuturna inedia macerata, flagellis etiam et scorpionibus cæsa, demum atroci supplicio destinata; sed eo divinitus contrito ad extremum capite plexa est; corpus ejus ab angelis in Sinæ monte mirabiliter collocatum. Habuisset sane Bornia carcerem quoque suum, etsi longe suaviorem, non sua etiam martyrii laude carentem, si in monasterio lubenti et constanti perstitisset animo: sed quoniam claustra illam tam facile transcendit, et sua via religionis vincula tam temere dirupit, colligimus non Christi, sed diaboli martyrem fuisse etiam in monasterio, quæ non tam religionem, quam sæculum spectavit, et intra claustrum septa coacta tantum ac velut incarcerata manserit. Nec vero martyr esse desiit, postquam exiit velamen, sed potius tum primum esse cœpit, et in pejorem incidit carcerem, diaboli videlicet. Quemadmodum enim pisces de sartagine in ignem desilientes, non ardorem fugiunt, sed graviolem incurunt; ita contigit et Borniæ, quæ ut refert p. Schererius, serm. II. in hoc festo, postquam Lutherus nupsit incestuoso matrimonio, aliquoties fletum et ejulatum ad duas tresve horas continuo protraxit, nec admittere consolationem voluit, ita ut vel in desperationem inciderit, vel aliter misere perierit; siquidem apud Lutherum altissimum de ejus morte silentium, quod valde est mirabile, prædicantes enim in funeralibus concionibus,

et defunctorum laudibus decantandis magnis conatibus quærent, quos in martyrologium suum reponant. Nimirum Borniam ita ex hac vita discessisse oportet, ut absque ignominia nota scribi non potuerit: sed martyrem diaboli obisse satis inde colligitur, quod in ejus servitute, plusquam Pharaonica perpetuo vixerit. Quemadmodum enim pisci extra aquam bene esse non potest, sed perpetuis saltibus tandem colliditur: ita monachus, aut monialis, postquam exiit cucullum; agitur enim ab ultrice conscientia et requiem non habet: *Sicut qui carcerem habitant, inquit Sanctus Chrysostomus, hom. XXII. de nequitia repulsa, capitis damnationem operientes et mortem, etiam deliciis abunde fruuntur, vitam agunt molestam et anxiam: sic qui improba conscientia molestantur.* Conscientia enim mille testes. Quomodo bene esse potuisset prodigo illi filio, quando deserta jam paterna domo, et dissipata substantia sua, dimoratus in regione longinqua cœpit egere, et missus est in villam, ut pasceret porcos? Quando siliquas porcorum pro cibo habuit, nec eas sufficientes? Et quomodo bene fuisse Borniæ quæ de familia patris fugiens adhæsit profugo etiam Lutheri et porcos sensuum suorum turpissimis voluptatibus pavit, et famem perpetuam passa est non panis sed sinceri verbi Dei, et pro eo siliquas porcorum, id est, fœdas hæreticas doctrinas acceptare debuit? Ipsa igitur sibi carnifex fuit perdita filia. Sed neque Christus ad hæc tacere poterat, cui olim desponsata fuit, qui perpetuis sollicitationibus eam insequeretur et repeteret. Si enim vir uxorem a se dilapsam magno zelo prosequitur, et undique inquit nec alteri relinquit, quamvis princeps esset: quid non faciet Christus sponsæ suæ, quæ tot ei debetur titulis, quique Deus zelotes est? Nemo prudens miratur aut vitio dat, quod imperator noster Bohemiam armis infestavit, ferro et flamma persecutus sit, quia debitam sibi filiam, Bohemiam, quæ ab ipso profuga, alteri jam nupserat, merito repetit. Certe sententia illa Sancti Pauli, I. ad Timoth. cap. V. quæ ait: *Viduas (post votum castitatis) nubere volentes habere damnationem, quia primam filiam irritam fecerunt: Lutherum sæpe in angustias redegit, ut extricare se non posset, et diceret colloquio sermonum mensalium, tit. de diabolo, se propterea a diabolo, pene suffocatum fuisse: nec minus contristavit ejus pellicem Catharinam.* Quis igitur non merito eam appellet martyrem? Sed utinam martyrem Christi possemus appellare! Martyrium istud artha est æternæ damnationis, mercedem non meretur, nisi inferorum. Beata Catharina suum ob martyrium cœlo est adscripta, ab angelis in monte Sion mirabiliter se-

pulla, et ad venerationem toti mundo manifestata: de morte, sepulcro et beatitudine Borniæ martyris nihil indagari potest, nec loqui volunt Lutherani; nimirum meretrix oblivioni tradita, oblata est inferno, sicut vasa Holofernis templo, in anathema oblivionis.

III. Denique B. Catharina doctrix erat, quæ cum esset eruditissima, Maximi imp. tyrannidem in faciem reprehendit et convertere eum conata est. Quinquaginta etiam philosophos gentiles disputando ad fidem convertit, et in ea instituit, necnon Maximini uxorem et duces Porphyrium; quibus etiam ad martyrium auctrix et hortatrix fuit. Quis dubitet doctricem quoque fuisse Lutheri Catharinam quæ doctoris conjux fuit? Sed quid docuerit audiamus. Docuit exemplo suo, si non etiam verbo, innumeras moniales, monasteria ut desererent, vota infringerent et secure nubere: habuitque discipulas pro nimis multas, quæ nisi magistram præeuntem vidissent, nunquam id attentare ausæ fuissent. Docuit præterea puellas circumvagari, et quidem juvenes, sine ullo scilicet periculo, quemadmodum et ipsa post suam abductionem, antequam Lutheri nubere, inter studiosos Wittembergæ diu est vagata (referente Thom. Boz. de sig. ecclesiast. lib. XII. fig. LVI.) ubi dubio procul non prius nubere, quam nuptias celebrare, adeoque a fornicatione nuptias inchoare; siquidem ipsa ante publicam deductionem impio Lutheri pudicitiam suam prostituit, et ut Eras. in epist. ad Mauchium Ulmarum scribit, pauculis diebus post decantatum hymenæum nova nupta peperit. O egregiam doctricem! Sane hoc exemplo Lutherus et ejus appendix tantum profecere, ut brevi tota Germania fornicationibus, adulteriis, sodomiis et imprimis Wittembergæ innumeris repletur sceleribus, studiosi perderentur scortationibus, ut queritur in colloquio mensali de matrimonio. Mulieres et virgines ante et retro se denudarent nemine arguente et prohibente; quemadmodum ipsemet lamentatur in quadam epistola ad suam Borniam: quod aliud nil est, quam ignem ædibus supponere, et postea de incendio lamentari. Evangelium Christi virgines procreavit; evangelium Lutheri scorta et meretrices: evangelium Christi monasteria edificavit; evangelium Lutheri iterum destruxit. Quid respondit mulier illa sapiens duci Joab, volenti destrueri muros urbis Abelæ, II. Reg. cap. XXX. *Tu quæris subvertere civitatem, inquit, et evertere matrem in Israel; quare præcipitas hæreditatem omni?* O Lutheri! o Bornia! Vos, vos, diruistis muros claustrorum et præcipitastis hæreditatem Domini. Sed quod præmium meretur ejusmodi doctor aut doctrix? Id expressit Christus,

Matth. cap. XVIII. cum ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris.* Sanctus Joannes, Apocal. cap. II. vult ejusmodi doctores exterminandos esse; reprehendit enim episcopum Pergami, quod in suo episcopatu toleraret Nicolaitas, qui docebant non solum non esse malum fornicari, sed etiam ad salutem necessarium (ut ibi Blasius Vegas) atque ita mittebant scandalum in populum ad instar illius Balalam. Et quid aliud docet doctrina et exemplum Lutheri et ejus pellicis? Scriptum est Exod. cap. XXI. *Si quis aperuerit cisternam et foderit et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam reddet dominus cisternæ pretium jumentorum.* Quid hac sibi lege vult Deus? Numquid de bobus cura est Deo? Tu o Lutheri, tu Catharina Bornia, aperuistis impudicitia cisternam, in quam tot boves et asini, id est, rudes et imperiti homines jam pridem ceciderunt, et cadunt etiamnum; cisternam, inquam, quæ describitur Apocal. cap. IX. a Joanne, qui vidit stellam de cœlo cecidisse in terram, et aperuisse puteum abyssi: moxque ascendisse fumum putei sicut fumum fornacis magnæ, et obscurasse solem et aerem, et de fumo putei exisse locustas in terram, humana facie, capillis mulierum ornatas. Quis hic non dicat delineatum fuisse Lutherum et ejus Ketam? Ceciderunt stellæ istæ de religionis fastigio veluti de cœlo in barathrum impudicitia, necnon doctrina et exemplo suo aperuerunt puteum abyssi, unde innumeræ prodierunt hæreses, veluti locustarum agmina Germaniam vastantes, humana quidem et blanda facie, mulierum crinibus ornata; hoc est, effeminati et impudicitia fræna laxantes: fumo item suo solem et aerem, id est, etiam eruditos et religiosos multos obscurantes. Foderat olim hanc cisternam Jovinianus hæresiarcha et ipse monachus, qui ut ait Sanctus Augustinus, de peccat. merit. et remiss. lib. III. cap. VII. sanctimonialibus etiam ætate provectoribus nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo, quo earum aliquam ducere vellet uxorem, sed disputando, virgines sanctimonie dicatas, nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritum. Verum ea cisterna cito obstructa fuit, præsertim a Sancto Hieronymo, qui duos libros contra hunc Joviniani errorem scripsit; nec usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire, paucas tantum lascivientes seduxit moniales: ipse vero nec habuit nec habere voluit uxorem. At nostro, proh dolor! infelici sæculo Lutherus cum sua Bornia foveam hanc infernalem denuo aperuit, et inde ingentia locustarum agmina tamquam ex equo Trojano

effudit, plurimosque utriusque sexus sectatores habuit; (ille monachos et sacerdotes, hæc moniales Deo desponsatas virgines). Quianimirum non doctrina solum sed exemplo etiam prævit, quod efficacissimum esse solet. Quid igitur superest, nisi ut ambo reddant Deo pretium animarum, quæ in puteum illorum inciderunt? O quot monachi et sacerdotes ardebunt super te Luthere! O quot moniales super te Catharina! Quot vagabundæ adolescentulæ: quæ pudicitiam suam prostituunt! Quot mali conjuges, qui ante contractum publicum illicite conveniunt! Et unde vobis pretium tot animarum, quas Deo abstraxistis: infinitum est, et reddi nequit, licet æternum ardeatis. Et hæc est pars vestras, præmium et aureola vestra.

Illud obstupescendum est, tam tetro putei illius fumo et fœtore non esse offensam nec offendi Germaniam etiam. Sed potius doctrinam approbare, exemp. am laudibus evehere. O tempora! O mores! Qui jam dubitet in hæc tempora vel maxime quadrare illud Isaïæ: *Dilatavit infernus animam, et aperuit os suum absque ullo termino?* Quid enim nunc difficile erit persuadere hominibus ætatis hujus, si nefandum apostatæ monachi cum apostatrice moniali incestum et sacrilegum concubitum non alio quam castissimi et sanctissimi matrimonii loco habendum censuere, persuasi ab illis ipsis, qui se tam immani scelere obstrinxerant? Quid superest, nisi ut in Mahometis transeamus disciplinam, egregie Epicuream, et absurdissimas alcorani ejus nenas et putidissima deliramenta complectamur? Et certe huc tendit ipsissimus totius Lutherani evangelii scopus. Sed preciptus sit nobis Deus, ne in hanc dementia devolvamur. Rogemus omnes Deum, ut tandem oculos cæcorum aperiat hæreticorum, amen, amen.

CONCIO V.

ADVENTANTI CHRISTO JUDICI QUOMODO OBIANDUM.

I. Simus virgines. — II. Accipiamus oleum honorum operum. — III. Exeamus obviam sponso. — IV. Vigilemus. — V. Ornemus lampades.

THEMA.

Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Matth. XXV.

Regius propheta cum Dominum orasset, Psalm. XXIV. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me, paulo post ostendit sese exauditum, et facturum esse Dominum, quod ab eo petiit, cum subdit: Dulcis (Hebr. bonus) et rectus*

Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Præstitit hoc Christus in hodierno evangelio, quando supra montem Oliveti sedens contra templum et Jerusalem, ut docet S. Mattheus, cap. XXIV. et S. Marcus, cap. XIII. proposuit longo sermone varias parabolas, veluti de fure nocturno, de servo fideli, de decem virginibus, de talentis, de pastore oves segregante, omnes eo tendentes, ut doceret, qua ratione ipsi in illo ipso loco (siquidem mons Oliveti imminet valli Josaphat, ubi fiet judicium) occurrere debeamus, ut salvi simus, et cum ipso ad cælestes nuptias ex eo loco intremus. Videtur enim mihi dicere: Hoc in monte sededo, cum venero ad judicium, et si mecum vultis ingredi ad meas illas nuptias, sic mihi hoc in loco occurrere debetis, quomodo prudentes virgines, non quomodo fatuæ: *Bonus igitur et rectus Dominus, qui delinquentibus in via salutis, legem nobis dedit, et vias suas ostendit. Bonus inquam, cum in monte Oliveti sedet tamquam doctor noster: rectus, cum sedebit olim tamquam judex noster. Ergo ne timeamus sessurum ibi judicem, audiamus nunc docentem ibi magistrum.*

I. Simus virgines; siquidem per virgines in hoc evangelio intelliguntur omnes Christiani. Et primo, quoad fidem, ut fidem habeamus puram et incorruptam nulla infectam hæresi, adeoque catholicam: quisquis enim ab hac defecit vel in uno fidei articulo, a Christo defecit et virgo non est, velut omnes hæretici pravis imbuti et corrupti dogmatibus. Virginitas hæc principium et caput salutis nostræ est, ideoque sedulo conservanda; sic enim objectis brachiis ab ictibus caput nostrum tutamur. Et sicuti filia virginitas studiose custoditur a parentibus: ita ab Ecclesiæ pastoribus custodienda est infidelibus fidei integritas. Quemadmodum fecit apostolus. I. Corinth. cap. XI. *Æmulor, inquit, vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Cavendæ ergo lenones, pseudo apostoli et hæretici. Quid putas de Israelitis fuisset, si dux eorum, columna ignis disparuisset? Numquid non tenebræ per deserti vias eos dispersissent? Quid consilii cepissent magi, si stella Jerosolyma egressis non denuo apparuisset? Numquid non gaudio, quod stellam videntes affecti sunt, caruissent? Omni ergo custodia fides custodienda.

Secundo, quoad charitatem, ut Deum super omnia amemus, et nulli creaturæ magis quam ipsi adhæreamus. Hoc enim modo, qui non diligit, animam habet corruptam illecebris vitiorum.

Audi Originem, homilia XII. in Levit. cap. II. «Si inquit, susceperis o homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus iræ, si invidia, si superbiæ, si impudiciæ ingressus fuerit ad animam tuam, et receperis eum et consenseris ei loquenti, et in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi secundum mentem suam suggerit, meretricatus es cum eo.» Quare sicut sponsa ab alio corrupta, nulla ratione apparere coram sponso suo auderet in die nuptiarum; ita qui fidei vel charitatis integritate caret, qua mente coram Christo audebit comparere?

II. Accipiamus oleum honorum operum in vase cordis nostri, quod ad instar lampadis aut vasculi superne quidem apertum cælestibus videlicet bonis suscipiendis: inferne vero clausum terrenis scilicet bonis esse debet. De hoc oleo loquitur Ecclesiasticus, capite XVIII. dicens: *Ante judicium para justitiam tibi:* et Dominus cum hoc ipso capite XXV. Matthei, explicans quasi hanc parabolam, asserit requirendam in judicio bona opera: *Esurivi et dedistis mihi manducare.* Cæteram hoc oleum sit primo copiosum et indeficiens. Sic enim sapientes non solum in lampadibus, verum etiam in vasculis oleum acceperunt; ut haberent semper quod affunderent. Et ita etiam Hebræi olim grandem lignorum congeriem comportare quotannis solebant, pro igne perpetuo fovendo in altari, ne pabulum ei deficeret, eumque diem festum habebant, xylophoria appellatum, ut scribit Joseph. libro II. de bello, capite XVII. Ergo et nos quoque provideamus nobis de abundante pabulo, quo ignis charitatis foveatur semper in altari cordis nostri. Hujusmodi autem pabulum, oleum et lignum sunt conciones, piæ lectiones, meditatio novissimorum, et vitæ Christi ac sanctorum, frequens sacramentorum usus, amoris divini frequentes actus aliæque bonæ cogitationes; quæ ubi comportare cessamus, lampades nostræ extinguuntur. Pro grandi itinere grande viaticum est parandum, parvum pro exiguo. Et tamen plerique mortales pro itinere æternitatis nihil sibi provident; pro brevissimæ vitæ suæ cursu parare sibi opes, honores, voluptates nunquam cessant: et ita sibi potius ligna comportant, quibus ardeant in inferno: *In cassum multa portantur, ait Sanctus Gregorius, homilia in evangelia, cum juxta est, quo itur.* Ignem illum in altari debebat fovere sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, Levit. cap. VI. similiter et nos ut ignem charitatis in nobis conservemus, subjiciamus ei ligna quotidie matutino tempore per orationem, meditationem et deliberationem vitæ bene instituendæ.

Secundo, sit partim ardens in lampade; partim in vasculo reconditum, ita nimirum, ut partim luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est; partim sit in occulto, ut ne vanam ex operibus nostris bonis aucupemur gloriam, sed per intentionem semper optemus secretum et soli Deo placere. Atque hoc est oleum habere in vase, quod apostolus, II. Corinth. c. I. ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ;* quando scilicet nitorem gloriæ nostræ intra cor et conscientiam, quasi in vasculo retinemus, ut exponit Sanctus Gregorius, homilia XII. in evangel. Fecerunt hoc prudentes, non fecerunt fatuæ, ideoque oleum eis defecit coram sponso, quia quod habebant in lampadibus, in fumum abiit vanæ gloriæ. Et quia gloriam suam non in conscientia sua, sed in ore hominum posuerunt; hinc illa in eas ironia sapientum: *Ite potius ad vendentes et emite vobis Vendentes oleum quinam sunt, nisi adulatores?* Sic enim Psal. CXL. dicitur: *Oleum (id est, blandimentum) peccatoris non impinguet caput meum.*

III. Exeamus obviam sponso; idque fiet primo, si conformemus nos per omnia divinæ voluntati. Qui enim obviam it alicui, quærit ei occurrere in eadem via, et cum eo postea regredi, hoc autem fit, si conformemus voluntatem nostram divinæ. Quod idem in simili parabola Lucae cap. XII. Dominus expressit, cum ait: *Vos similes (estote) hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.* Venit Dominus, ait Sanctus Gregorius, homilia XIII. in evang. cum ad judicium properat: pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et videre eum, quem contempsisse se meminit, judicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicem sustinet. » Dicat ergo quisque, cum vocatur ad transitum ex hoc sæculo, cum Sancto Hilario ne: *Egredere anima mea, egredere, quid times?* et cum Christo Domino: *Si non potest hic calix transire, fiat voluntas tua.* Quin et cum Epicteto philosopho, qui gentilis licet, sententiam hanc plane christianam edidit libro III. dissertat. capite XXVII. «Appetitum meum obedientem præbui Deo. Vult ille me febricitare? Volo, et ipse. Vult me aliqua re potiri? Volo et ipse. Non vult? Nolo. Mori me vult? Mori igitur volo. Quis adhuc me prohibere potest contra meam sententiam aut cogere?» Sic Sanctus Hieronymum decumbentem cor cælestis ad eum